



**Tractatus Exegeticus Ad Librum III. Decretalium Gregorii
IX. Materiam successionis Testamentariæ, & Legitimæ,
nec non Parochorum, Regularium, & Patronorum jura,
aliaque ad rem Liturgicam spectantia ...**

Scharz, Oddo

Salisburgi, 1740

Titulus XXXVII. De Capellis Monachorum, & aliorum Religiosorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63798](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63798)

effectus suspensum sit? Hanc quæ-
stionem ex artic. 5. §. 48. sic decidit
Böhmerus §. 21. b.t. ut, si Episcopi
in ejusmodi Monasteria jurisdic-
tionem Anno 1624. quiete exercuerunt,
eam etiam posthac exerceant: sin ve-
ro quietam non habuerunt eo anno
possessionem, nihil juris, vel jurisdi-
ctionis etiam posthac in similia Mona-
steria se habere sciant, *superioritate*
territoriali, inquit, *prorsus reclaman-*
te, quæ extranei Principis Ecclesiastici

Imperium in territorio haud patitur,
admittit, tolerat. Nos circa hoc pun-
ctum, an bene, vel male fiat, quod sit,
arbitrium in nos suscipere nolumus,
nec in favorem Catholicorum d. §. 48.
declarare, quanquam argumenta non
descendent, sed interpretationi, quam ha-
bet ex usu & facto hæc res in terris
protestantium, suum valorem relin-
quimus, sapientis illius moniti me-
mores: Feras, non culpes, quod mutari
non potest.

TITULUS XXXVII.

De Capellis Monachorum, & aliorum Religiosorum.

Olim Ecclesiæ Monachorum *Oratoria*, vel *Capelle* dici
consueverunt, eo quod illæ non ad conventum po-
puli, sed privatæ Monachorum devotioni destinatæ
essent. Van-Espen *J.E.V.* part. 2. tit. 16. cap. 4. num. 7. Hodie
nomine *Capellarum* veniunt Prioratus, Præposituræ, Parochiæ,
aliæque Ecclesiæ, vel beneficia, quæ à Monasteriis, vel aliis
locis Religiosis tanquam accessorium à suo principali depen-
dent. De his, antequam in specie agamus, generalia de *Ca-*
pellis, earumque origine præmittimus.

§. I.

*Quid sint Capelle? Quando cœperint? Et quæ jura circa
illas constituta sint?*

S U M M A R I A.

1. *Hujus vocis Capella etymologia panditur.* 2. *Primitus Capelle Ecclesiæ Ca-*
thedralibus vel Parochialibus contiguae erant, dein etiam ruri construi cœ-
pe-

perunt. 3. Capellæ sunt vel publicæ vel privatæ. 4. Et quæ differentia inter utrasque? 5. Quis possit dare licentiam celebrandi Missas in Oratoriis privatis? 6. Quid de Episcopis?

- C**apellæ etymon suum trahere videntur à pellibus caprarum, quibus pro more veteri sacræ ædificæ, quæ nobiles in expeditionibus constituti rei Divinæ peragendæ causa in tentoriis collocatas habebant, tegebantur. Macrius in *Hierolexico V. Capella.* Aliud etymon Capellis queritur à *Cappa* S. Martini Turonensis, de quo ita Durandus in *ration. Divin. lib. 2. cap. 10.* scribit: *Antiquitus Reges Franzie ad bellum procedentes Cappam Beati Martini Episcopi Turonensis secum portabant, quæ sub quodam tentorio servabatur, quod ab ipsa CAPA, seu CAPPA dictum fuit CAPELLA,* & Clerici, in quorum custodia ea Capella fuit, inde *CAPELLANI dicebantur*; unde postea ad cunctos Sacerdotes nomen illud in quibusdam regionibus pervenit. V. Macr. in *Hierol. V. Capellanus & Pignatell. tom. 6. Consult. 98. num. 26.* ubi ex Rhenano in Præfat. ad Liturgiam S. Chrysostomi idipsum amplius declarat.
- 2.** Antequam vero hæ Capellæ portatiles invaluerint, Oratoria sive Sacella in honorem Sanctorum prope templo Cathedralia, vel Parochiales Ecelesiæ leguntur fuisse extructa, de quibus Platina in *vit. PP. in vita Hilarii.* Successentibus temporibus, cum senio fractis, ægris, aut mulieribus gravidis, aliquisque Parochianis ob aëris intemperiem Parochias suas (quæ antiquitus longe, latèque extendebantur) accedere durum accideret, à PP. Concilii Agathensis Anno 506. celebrati in-
- dultum fuit, ut ruri, & in pagis Orationia, quæ etiam Capellæ vocabantur, liceret exstruere, ad quæ diebus Dominicis & Festis rei Divinæ peragenda gratia à Parochia remotiores confluere possent, addita tamen hac restrictione, ut in Festis majoribus (quæ ibidem determinantur) Ecclesiæ Parochiales adirent. Tandem etiam iste usus exstruendi Orationia ad privatas ædes traductus est, neutrobi tamen fas erat Missas celebrare, sed duntaxat privatæ devotioni & orationi incumbere ibidem permittebatur V. Concilium Aurelianense *Can. 3.* quod refert Gratianus in *cap. 33. de Consecr. dist. 1.* fuisus hæc Pignatell. cit. *Consult. num. 27. seqq.* ex Bullingerio in *Chron. lib. 6. cap. 2.* refert. Rodolphus Hospiianus scriptor Acatholicus qui in *tract. de Origin. templ. lib. 3. cap. 2.* eandem historiam ex Bullingerio narrat, moraci hoc epiphonemate discursum suum absolvit: *Hæ Capellæ Parochiis multum damni attulere progressu temporis: unde scite, verèque admodum dici solet, mox atque Satanus advertat templum aliquod in DEI honorem eretum, huic proxime exædificare Sacellum, quo illius ruinam molitiatur.* Hoc epiphonema omnino ad illa Sacella & Capellas optime quadrat, quæ vel CALVINI Cranio, vel *Cappa MARTINI LUTHERI* teguntur. Modelius de hoc arguento scribit Boehmerus *ad b.t. §.2. & plurib. seqq.* ipius Martini Lutheri, sacri hujus Vatis, devotissimus Capellanus. Omnium tamen mo-

de-

destissime & sincerissime Capellarum origines, & quid juris circa illas olim obtinuerit, ex antiquis monumentis evolvit Thomassinus *vetus*. & *novus*. *Eccles. discipl. part. 1. lib. 2. cap. 92.* & 4. seqq. quem consule.

³ *Capelle*, sive *Oratoria* (quæ vocabula sunt *Synonyma*) sunt vel *publicæ*, vel *privatæ*. Illæ dicuntur, quæ *authoritate publica* pro *administratione Sacramentorum* sunt *deputataæ*; hæ vero *privatæ* cuiuslibet *devotioni* deser-
viant, sive deinde domi, aut etiam in locis publicis *constructæ* sint, modo nec *Missa* ibidem dicantur, nec alia *Sacra-
menta* dispensentur. Inter utrasque id discriminis est, quod *Capellæ private* non indigeant *licentia Episcopi*, bene vero *publicæ*, quo faciunt Textus in *cap. 33. dist. 1. de Consecrat.* *cap. 3. C. 18. Q. 2. cap. 4. de Privil. in 6.* *cap. 4. de Relig. domib. Nov. 67. cap. 1.* *Vincent. Petra in Comment. ad Constit.* *Apost. tom. 1. pag. 590.* & seq. n. 71. & seqq. & *tom. 2. pag. 498. num. 55.* Hinc licet aliquando ex concessione Papæ, vel *Episcopi* etiam in *Oratoriis privatis* *Missa* dicantur, per hoc tamen non efficiuntur *Capellæ publicæ*, cum in hunc finem non fuerint ab *Episcopo* *primitus Canonico ritu inaugura-
tæ*. Idem *Petra num. 77.*

⁴ Inter *Capellam publicam*, & *privatam* sequentes differentias recenset *Petra num. 78.* I. *Capella publica* gau-
det *imunitate Ecclesiastica*, non etiam *privata*. II. In prima possunt *Missa* celebrari, non item in secunda citra speciale *indultum*. III. *Publica* sub-
stat *Visitationi Episcopali*, securus *privata*. IV. Illa *Campanarum usu*, & *janua ad viam publicam patente gau-*

det, non item posterior. Et præterea notat *Barbos. in Collect. ad Concil. Trid. Sess. 22. de Sacrif. Miss. Decret. de ob- serv.* & *evit. in Sacrif. Miss. num. 22.* quod in illo *Decreto*, quo prohiben-
tur *Missa* in *Oratoriis* celebrari, non comprehendantur *Oratoria publica*— authoritate ad cultum *Divinum* desti-
nata, sed duntaxat, quæ *privatæ* devo-
tioni in *adibus privatis* erecta sunt.

Quæres, quis possit dare *licentiam* ⁵ *celebrandi Missas in Oratoriis privati*? Resp. *licentiam* hanc, si *generalis* sit, non posse dare *Episcopos*, sed à *S. Pontifice* eam petendam esse. *Colli- gitur ex cit. Decreto Concil. Trident. Sess. 22. de observ.* & *evit. in celebrat. Miss.* ubi *Episcopis* injungitur, ne pa-
tiantur in *privatis domibus* *Missas ce- lebrari*: ergo multo minus ipsi hanc facultatem impertiri possunt. Et ita declaratum fuisse à *Paulo V. testatur Gavant in Manual. Episc. V. Missa n. 18.* & patet etiam ex declaratione *S. Congregationis* sub *Clemente XI.* quæ emanavit *15. Decembr. 1703.* & integra refertur à *Begnudellio Basso in Biblioth. jur. tom. 3. in Prax. Orator. §. 1. num. 6.* Videatur quoque *Pignatelli. tom. 6. consult. 98. num. 33.* atta-
men inter *Oratoria privata*, quæ vel intra *Ecclesiæ*, vel etiam extra *Eccle-
siæ* in compitis sine *authoritate publi- ca* sunt extructæ, & inter *Oratoria do- mestica* distinguit *Eminent. Petra cit. tom. pag. 394. num. 92.* & in prioribus *Episcopum* *licentiam* *celebrandi Mis- sa* dare posse ex *Brevi Apostolico Pauli V. ostendit*, non item in post-
erioribus: addit insuper *num. 93.* quod si ejusmodi *Capellæ privatæ* intra *Ecclesiæ* extructæ *Missarum certarum*

Ss
one-

onere sint gravatae, Episcopus licentiam celebrandi prius impetrari non debet, quam de ornamentis, lumina-ribus &c. eidem Capellæ satis prospetum fuerit, ne scilicet frigescente deinceps hominum devotione sine cultu remaneant. Videatur idem Eminent. Author tom. 2. pag. 493. n. 7. § 8.

Num vero Episcoporum potestas usque adeo limitata fuerit, ut nequidem pro casu aliquo particulari ex rationabili quadam causa v. g. infirmitatis licentiam dare possint in Orato: io doméstico Missam celebrandi, dubitaveris. Pax Jordan lib. 4. tit. 1. de Sacrif. Missæ num. 118. § seq. cum aliis ibidem relatis favet Episcopis, hac ratione persuatus, quod Episcopi in casibus particularibus urgente necessitate, vel alia rationabili causa possint dispensare, quin etiam ex motivo honesto indulgere, ut Missa ante auroram, vel etiam post meridiem celebretur: ergo multo magis in data hypothesi licentiam impetrari poterunt, ut Missa in Oratorio privato dicatur, cum hac potestate legantur fuisse prædicti de jure antiquo in cap. 12. cap. 14. cap. 34. de Consecrat. dist. 1. accedit notoria praxis Germaniæ, ubi ad solatium infirmorum ejusmodi licentia pro Oratoriis privatis passim concedi solent.

Attamen si spectentur Declarationes S. Congregationis, quas adducunt Fagianus ad cap. 30. de Privileg. num. 13. Pignatell. tom. 3. consult. 39. ac novissima declaratio sub Clemente XI. superius allegata, omnino dicendum videtur, licentiam domi celebrandi ad effectum communicandi infirmum S. Vaticano, Episcopos dare non posse. Vid. Clericat. de Sacrif. Miss. decif. 12. num. 66. Begnudell. cit. l. n. 4. Vincent. Petra tom. 2. pag. 494. num. 15. § 16. Unde ipse etiam Pax Jordan assertum suum limitare videtur, dum scribit num. 122. „quod Episcopus non „possit licentiam concedere in priva- „tis domibus, & Oratoriis, sed tan- „tum extra Ecclesiam, concurrente „justa causa; hoc enim modo proba- „bilius evitantur præfatæ contrariae „Declarationes. Ad praxin Germaniæ, quod attinet, verosimile est, hanc facultatem Episcopos impetrari autho- ritate sibi à Summo Pontifice delegata. Plura circa Oratoria tum privata, tum publica dabunt laudatus Begnudellus in praxi *Orator privat.* § public. cit. tom. 3. & Pignatell. tom. 6. consult. 98. Eminent. Petra tom. 2. Comment. ad Constit. 8. Honorii III. sent. un. per tot. pag. 491. § seqq.

§. II.

De Capellis Monachorum in specie:

S U M M A R I A.

- 7. Quid per Capellas Monachorum intelligatur? 8. Quomodo beneficia curata, & simplicia ad Monasteria pervenerint? 9. An regulares in suis Monasteriis Oratoria erigere, & ibi Missas celebrare valeant? 10. Negat Fagianus & alii. 11. Cum quadam moderatione. 12. An in Grangiis Re-

gu-

gulares Oratoria habere, & Missas dicere valeant, similiter discutitur. 13.
 Parochiae possunt Monasteriis triplici modo uniri, & incorporari. 14. 15.
 16. Id quomodo fiat, latius explicatur. 17. 18. Parochiis Regulares præ-
 fici possunt. 19. Solvitur oppositio. 20. Et ad Declarationes Cardina-
 lium contrarias respondeatur. 21. Sunt ad nutum Prælai amovibiles. 22.
 Et inviti quoque ad Parochias incorporatas exponi possunt.

⁷ Per Capellas Monachorum intelliguntur non modo Oratoria in Monasteriis, & Grangiis eorum erecta, sed etiam alia beneficia curata & non curata Monasteriis legitime incorporata. Utrorumque antequam jura particularia explicemus, in eorum origines prius inquirere juvat.

Circa Sæculum IV. & V. scribit Eminent. Petra *Comment. ad Constat. Apost. tom. 2. pag. 492. num. 2.* quo scilicet tempore Monachi SS. Ordinibus initiari cœperunt, etiam Capellas, sive Oratoria, in quibus privatim sacra explerent, in suis Monasteriis extruendi ipsis facultas data est, & hoc quidem consilio optimo, ne scilicet Monachi ad sacra Mysteria frequentanda claustro egredi cogerentur, & hac occasione Religiosa eorum corda ex consortio Laicorum humanæ quidquam labis contraherent. Huic periculo Monachos suos subducere cupiens S. Benedictus, in *Regula cap. 66.* decrevit, ut necessaria omnia adeoque etiam sacra ministeria, intra Monasterium exerceantur, addens rationem: *ut non sit necessitas Monachis vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorum.* Hanc abstractionem indigne fert Boehmerus, eamque SS. Canonibus inimicam asserit *ad h.t. §. 71.* provocans ad *Canon. 6. Concilii Ganguensis*, qui refertur à Gratiano *cap. 11. dist. 30.* his verbis: *Si quis extra Ec-*

clesiam privatim populos congregans, contemnat Ecclesiasticas sanctiones, ipsamque Ecclesiam apud se sine Concilio Episcopi cum Presbytero agat, anathema sit. E pumice prius aquam elicias, quam ex hoc Canone verbum, quod vel indirecte abstractionem Monasticam reprehendat. A temporibus ergo S. Benedicti in singulis Monasteriis *Oratoria* extrui cœperunt, eo præcipue fine, ut sacra Mysteria ibidem celebrarentur, & Monachi in publicum prodire necesse non haberent. Circa hæc *Oratoria* Benedictina id speciale obseruat Heftenus *in disquisit.* *Monaſt. lib. 7. tract. 1. disquisit. 1.* quod Altaria cum Sanctorum Reliquiis ibidem fuerint erecta, Missæ celebratæ, & sacra Synaxis Monachis dispensata, id quod colligit ex *Regula S. Benedicti cap. 58.* ubi suscipiendus in *Oratorio* jubaretur de promissione sua facere petitio-
nem ad nomina Sanctorum, quorum Reliquiæ ibi sunt, & *cap. 38.* præscribitur Lectori Mensæ, ut post Missas & Communionem petat ab omnibus pro se orari. Et hæc *Oratoria* unice Monachorum usui, & devotioni destinata erant, nec extraneis ad ea aditus patet, ne scilicet populus hoc pacto ab Ecclesiis Parochialibus avocaretur.

Præter hæc *Oratoria* domestica, 8 postmodum etiam Parochiæ, aliaque beneficia tum curata tum non curata

S 2

Mo-

Monasteriis obvenerunt, quod hac occasione factum est. Reges Galliae, *Martellus*, ejusque Successores *Pipinus*, *Carolus*, *Ludovicus*, aliique militibus suis in premium navatae strenue in bello opera bona Ecclesiastica, ipsaque Ecclesiæ in beneficium sive feudum concesserunt, ut ad tit. de feud. jam observavimus, iniquissima hæc res non potuit non indignationem Ecclesiæ provocare: unde factum est, ut Principes nonnulli, aliique nobiles vieti excommunicationum fulmine, quod in variis Conciliis, præcipue sub *Vito-re II. Gregorio VII. & Urbano II.* habitis PP. in ejusmodi bonorum Ecclesiasticorum, Ecclesiarumque usurpatores æquissimo zelo vibrarunt, exterriti, bona ab Ecclesia hactenus possessa, ipsaque Ecclesiæ vel liberali donationis titulo vel venditione quidem sed pro vili pretio in Monasteria contulerint. Episcopi, cum viderent, se id genus donationes impedire non posse, quanquam illis vehementer intercesserint, ut patet ex Synodo Melfitana sub *Urbano II.* habita, ea demum lege dictas Ecclesiæ, earumque proventus Monasteriis permiserunt, ut, quotiescumque Vicarium, ad Altaris Ministerium constitutum mori, aut alias mutari contingeret, Monasteria certam pecuniam Summam Episcopis dependent, & hoc emolumentum Galli redemptionis nomine significabant, vocantes id genus Vicarios Personas, ipsas vero dictarum pecuniarum solutiones *Altarium redemptio-nes*. Hunc censem ut nefarium, & simoniacum damnavit Urbanus in Concilio *Arvernensi*, damnarunt quoque PP. Concilii *Claromontani* *Can. 7.* & *Gregorius VII.*

*lib. 4. Epist. 7. ad Diensem Episcopum Legatum suum data. Nec tamen per hæc Decreta sanatum est vulnus: aliam fraudem excogitarunt Episcopi, & pro illa pecunia summa, quam Monasteria mutato Vicario dependere jubebantur, censem annum ejus loco Ecclesiæ imponebant, prætexentes, se id genus pensionationis non pro Altarium, sed pro personarum redēptione, scilicet pro Vicariis exigere. Hanc fraudem acerbe exagitat Goffridus Vindocinensis lib. 3. Epist. 12. & Paschalis II. in Epistola ad Iovem Carnotensem & Ranulfum Santonensem Episcopos data. Tandem in Concilio Claromontano res ita composita fuit, ut Altaria à Monasteriis per triginta annos possessa penes ipsa etiam posthac maneant, sublatis quibuscumque pensionibus, intuitu Ecclesiarum, & Vicariorum hactenus Episcopis præstari solitis, ipsa vero Vicariorum institutio in dictis Ecclesiæ Episcopis salva maneat. Prolixius hæc narrat Illustr. Petrus de Marca in *Not. ad Can. 7. Concil. Claromont. & Baluzius in Not. ad Petr. de Marca lib. 6. cap. 31.* Videndum etiam Jacobus Sirmondus in *Not. ad Goffrid. Epist. tom. 12. Concil. Edit. Venet. pag. 919.* & Gonzalez ad *cap. 1. b. t.* quibus si placet, adde Böhmerum ad *b. t. §. 73.* & 3. seqq. ubi in fine S. Raymundo Decretalium compilatori exprobrat, quod Canonem Concilii Claromontani, qui agit de Ecclesiæ Parochialibus Monasteriis adjunctis, & per conductios Sacerdotes administratis in c. 1. sub Rubrica de *Capellis Monachorum* collocaverit, cum eo tempore Monasteria habuerint proprias Ecclesiæ *Conventuales* toto cœlo à Parochialibus di-*

distinctas. Sed non video, quid in hoc peccaverit Raymundus, cum ex *Canone 3. § 4.* Concilii Claramontani, qui etiam referuntur in Concilio Nomausensi *Canone I.* constet, principalem curam harum Ecclesiarum Parochialium pertinuisse ad Abbates Monasteriorum. Vid. *tom. 12. Concil. Edit. Venet.* pag. 914. & pag. 935. Jam ad jura particularia, quæ de Capellis, sive Oratoriis Monachorum proprie talibus quam Parochiis, aliisque beneficiis Monasteriis incorporatis (quæ ad distinctionem priorum *Capella* impro prietales dici possunt) constituta sunt, evolvenda progrediamur, ubi mox

Quæritur, an Regulares inconsulto Episcopo Oratoria in suis Monasteriis erigere, ibique Missas dicere valeant? Certum est, ejusmodi privilegium Apostolicum fuisse pluribus Regularibus ante Concilium Tridentinum concessum, ut de *Predicatoribus & Minoribus* constat ex Decretali Honorii III. in *cap. 30. de Privileg. de Augustinianis ex Constitutione Alexandri IV. 24. § 3.* & Clementis IV. in *Constitutione 4.* relata in *Bullario Augustiniano, de PP. Societatis IESU ex Constitutione Pauli III. 28. §. 14. tom. 1. Bullar.* Num vero privilegium isthoc etiamnum obtineat, vel per Concilium Tridentinum in *Sess. 22. in Decreto de observ.* & evitand. in celebr. *Miss.* fuerit revocatum, in utramque partem disputatur. Qui privilegium hoc hodieum valere contendunt, ea ratione moventur, quod Concilium Tridentinum d. loc. Episcopis duntaxat demandaverit, ne patiantur etiam à regularibus quibuscumque *Missam privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam celebrari;* Ora-

toria vero claustralia non possunt dici in *domibus privatis* erecta, neque etiam *omnino extra Ecclesiam* constituta, cum Monasterium unitatem corporis conficiat cum Ecclesia: ergo privilegio olim concesso Oratoriis Regularium, non obstante Decreto Concilii Tridentini, hodieum suus constat vigor & valor. Et ita sentiunt Pasqualigo *de Sacrif. nov. leg. tom. 1. tract. 1. Q. 484. num. 6.* Petrus de Murga *Disquisit. Moral. tom. 1. tract. 2. §. 1. num. 20. & seq.* & plurimi alii ab eodem relatati.

Contrarium defendit Fagnanus in *cap. 30. de Privileg. num. 5. § 7. &c.* qui eum sequitur, Eminent. Vincentius Petra in *Comment. ad Confess. Apostol. tom. 2. pag. 497. num. 43. & seq.* ex duplice ratione I. quod cesset ratio adæquata privilegii olim concessi, quæ erat, quod Regulares id temporis Ecclesiæ publicas, ubi Divina peragerent, nondum habebant, cum ergo hodie templo publica habeant, cessat ratio privilegii. II. Constat, post Concilium Tridentinum à pluribus Religionibus ejusmodi privilegium fuisse à S. Pontifice impetratum, ut in specie de hoc privilegio Societati IESU à Gregorio XIII. indulto testatur Pasqualigo *loc. cit.* ut quid autem fuisset opus, novum querere in hac re privilegium, si vetus nondum fuit extinctum? imo Gregorius XIII. in dicta Concessione PP. Societatis facta expresse declaravit, teste Fagnano *cit. loc. num. 7.* privilegium hoc universim Religionibus cæteris per Concilium Tridentinum fuisse ademptum. Cui accedit Decretum Clementis XI. ubi hoc punctum sequentibus verbis decidit: *Quo vero*

§s;

ad

ad Altare Portatile iterum inherendo declarationibus prædictis, censuit licentias, seu privilegia concessa nonnullis regularibus in cap. 30. de Privileg. & per aliquos SS. Pontifices aliis Regularibus communicata utendi dicto Altari portatili, in eoque CELEBRANDI ABSQUE Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino revocata esse per idem sacrum Concilium, & propterea eosdem Regulares prohibendos, ne illis utantur Sc. Decretum hoc integrum refert Begnudell. Baslus in Biblioth. jur. tom. 3. in prax. Orator. §. 1. num. 6.

¹¹ Sed nunquid hodie cæteri Regulares, qui habent communicationem privilegiorum Societatis IESU, dicto Privilegio Gregorii XIII. gaudebunt? Gaudere dicit laudatus Petra d.l.n.47. adducens binas Decisiones Rotæ & firmans hac ratione, quod hoc privilegium Gregorianum non sit de novo conceptum, sed innovaverit illud antiquum, cui per Concilium Tridentinum fuerat derogatum; unde communicatio, inquit, facilius intrare potest, uti in iis, quæ non indigent speciali mentione, & procedit verosimilis voluntas Papæ concedentis, præfertim, quia ex usu inconcussu passim videntur ista Oratoria in claustris, infirmaria, & alibi. Hæc PETRA.

¹² De Grangiis Regularium est altera quæstio, an ibidem Regulares Oratoria habere, & Missam dicere valeant? Per Grangiis vero teste Fagnano in Opusc. de Grangiis num. 2. & seqq. intelligitur locus, in quo degit parvus Conventus à Monasterio aliquo dependens, vel etiam domus aliqua voluptuaria ruri constructa, ad quam-

Regulares animi causa nonnunquam excurrunt: In his subinde Grangiis ante Concilium Tridentinum potuisse Regulares cum venia Episcopi Missas dicere, elucet ex cap. ult. de Cenfib. Post illud vero id amplius Regularibus integrum non esse declaravit Congregatio d. Concil. die 1. Mart. 1687. ubi proposito dubio: *An Sacerdos Regularis absque peculiari Sedi Apostolice indulso possit in domo Rurali Monasterii celebrare?* Respondit negative. Quapropter in hac materia respicendum esse tenorem privilegii, & indulti Apostolici, num etiam Grangia comprehendendantur, nec ne, monet laudatus Petra pag. 478. num. 53. Hæc de Capellis, sive Oratoriis intra Monasterii clausuram, vel in eorum Grangiis constitutis. Præstat nunc etiam de beneficiis Monasteriis incorporatis (quæ etiam Capellarum nomine venire diximus) notatu diguiora referre.

Ante omnia subinde notandum est; ¹³ quod incorporatio vel unio Parochiarum tripliciter fieri possit Monasteriis. Imprimis quoad temporalia tantum, ut, si decimæ, aliquæ reditus Parochiales Monasterio quidem assignentur, sed jus instituendi Rectorem ad Episcopum pertineat, solo jure presentandi Monasterio relicto, & tunc quoad curam populi Episcopo, quoad temporalia vero Abbatii rationem reddet praesentatus & institutus cap. 6. C. 16. Q. 2. Pax Jordan lib. 10. tit. 6. num. 1. Petrus de Murga de Benef. Eccles. Quæst. 3. artic. 4. §. 1. num. 146.

Secundo unio ista, sive incorporatione pleno jure fieri potest, & tunc etiam facta intelligitur, quando præter jus percipiendi reditus etiam sp*ri*xiua-

ritualium administratio & cura animarum in Monasterium translata est, quæ incorporatio de Mensa Prælati dicitur, & tunc Abbas principalis rector censetur, qui Vicarium exponere potest cap. 1. C. 16. Q. 2. sive Sæcularem, sive Regularem, niti aliud expresse in litteris unionis contineretur, ut, quod v.g. per sæcularem Clericum ibidem deser-
viri debeat. Barbos. *de Potest. Episc. part. 3. allegat. 71. num. 109.* Tamburin. *de Jur. Abb. tom. 3. disput. 9. Quest. 8. num. 2.* Lessius *de J. & J. lib. 2. cap. 41. dub. 12. num. 98.* etiam sine concurso. Barbos. *ad Concil. Trid. Sess. 24. de Reform. cap. 18. n. 16.* nec collatio talis beneficij propter vacan-
tiam semestrem ad Episcopum devolvet, utpote quod nunquam vacare censetur. Clem. un. *de excess. Prælat.* Barbos. *de potest. Episc. part. 3. alle-
gat. 58. num. 16.* Petrus de Murga cit.
loc. num. 151.

¹⁵ Illud tamen circa hanc unionem ulterius notandum, quod per eam Ecclesia quidem Abbatii subjecta sit cum jure percipiendi temporalia, & expo-
nendi Vicarium, populus vero subdit Episcopo, & ideo Vicarius quoad ea, quæ curam animarum concernunt, ab Episcopo approbadus sit, ejusque jurisdictio, visitationi, & correctioni subdatur juxta Tridentinum Sess. 25. *de Regular. cap. 11. Joan. Andr. in cap. 1. b. f. num. 1.* Panormit. *ibidem num. 2.* tametsi talis Vicarius Regularis ex Mo-
nasterio etiam exempto foret, ut ex Bulla Leonis X. notat Quaranta in Summa Bullar. V. *Privilegia Regularium fol. mibi 509.*

¹⁶ Tertio incorporatio beneficij Mo-
nasterio plenissimo jure fieri potest, &

tunc facta censetur, quando non tan-
tum Ecclesia, sed etiam populus ab Episcopo exemptus est, & tunc Abbas loco Episcopi & Ordinarii habetur, ipsi vero Episcopo in tali beneficio nihil juris remanet. Barbos. *in cap. 21. de Privileg. num. 2.* Panormit. *ibidem n. 3.* Licet vero olim juxta Clem. 2. *de reb. Eccles. alien.* Episcopi beneficia, & Ecclesiæ Monasteriis libere unire & in-
corporare potuerint, etiam inconsulto Rectore, id tamen postea per Concil. Trid. Sess. 24. *de Reform. cap. 13.* quo ad Parochias correctum est, ne deinceps Ecclesiæ Parochiales Monasteriis, Dignitatibus, præbendis, vel beneficiis simplicibus ab alio, quam Summo Pon-
tifice incorporentur. V. Barbos. *ad d. cap. Concil. num. 9. & 10. Card. de Luca in Annot. ad Concil. Trident. di-
scurs. 8. num. 19.*

Nunc ulterius dispiciendum, an ¹⁷ prædictis beneficiis & Parochiis Re-
gulares indistincte præfici possint? Af-
firmativa ex dictis fluit, casu quo Pa-
rochia quasi Regularis est, quando ni-
mirum Monasterium populum habet,
qui in Ecclesia claustralí regi solet,
prout expresse supponitur in Tridenti-
no Sess. 25. *de Regular. cap. 11.* ubi statuitur, Religiosos curam animarum
in suis Monasteriis excentes quoad
hanc Episcopo subjectos esse debere.

Parochiæ vero sæculari Monachum ¹⁸
præfici posse negat quidem Innocen-
tius ad cap. 5. *de Stat. Monach. num. 3.*
Affirmant vero probabilius Barbos. *ad d. cap. 5. num. 3.* Tambur. *de Jur. Abb. tom. 3. disput. 9. Q. 8. num. 5.* Garzias
de Benef. part. 7. cap. 10. num. 17. Na-
varrus *de Stat. Monach. Consil. 11. &*
12. cum Panormitanô & aliis apud Tam-

Tamburinum citatis, ita, ut nec dispensatione Papali, nec Episcopali indigeant, si scilicet salus animarum ita exigere videatur, nam absolute ad beneficia sacerdotalia habitatos esse constat ex d. cap. 5. de Statu Monach. cap. 2. eod. cap. 21. 25. & 31. C. 16. Q. 1.

19 Non obstat cap. 1. b. t. ubi expresse constitutum est, ne in Ecclesiis, ubi Monachi habitant, populus per Monachum non regatur, sed Capellanus, qui populum regat, ab Episcopo per consilium Monachorum instituatur. Hunc textum communiter interpretes expnunt de statu Monachorum primævo, quo sibi, siveque duntaxat saluti per observantiam regularem intendere jubebantur, successu temporis propter necessitatem constitutum fuit, inquit Panormit. ad cap. 1. b. t. num. 5. quod etiam Monachus Ecclesiæ Parochiali præfici valeat. Quod amplius confirmatur ex cap. 2. de Statu Monach. ubi Monachi ad Parochias sacerdotalia exponi permittuntur, modo non soli, sed cum fratribus maneant, & quidem juxta Bullam Pii V. 43. quæ incipit: *Ad exequendum &c. deberet ejusmodi Monachus ad curam animarum expositus quatuor secum sccios habere, quod tamen Gregorius XIII. vivæ vocis oraculo ita limitasse fertur teste Quarant. in summa Bullar. V. Vicarius perpetuus, ut sufficiat unum, aut alterum sibi solum adjungere; quamquam nec hoc quidem per consuetudinem ubique servetur.* Interim Episcopo manus per hanc consuetudinem non sunt ligatae, quin eam tollere, & jubere possit, ut Monachi vel bini, vel terni in Parochiis habitent, secus ad monasteria redeant juxta cap. ult. b. t. nam te-

ste Seneca epist. 25. omnia mala solitudo persuadet, ac magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assit, & cadens habeat, qui eum sublevet, ut dicitur in cap. 2. de Statu Monach. Et ut in his, quæ DEI sunt, & regularis observantie, tam consortio, quam solatio perfruatur. cap. 5. eod. Et hæc sententia contra Quarant. in summ. Bull. V. Canonicus Regularis. Mirand. tom. 1. Q. 32. num. 5. Garz. d. cap. 10. num. 32. qui varias Cardinalium declarationes referunt, ulterius cum Tamb. d. disp. 9. Q. 8. num. 4. & 11. & Lessio. cap. 41. num. 98. confirmari potest ex Tridentino Sess. 14. cap. 11. argumento à contrario sensu, ubi de Religiosis translatis decernitur, eos non aliter suscipi posse, quam, ut in monasterio permaneant, & ad beneficia sacerdotalia curata incapaces existant, et si Canonici Regulares forent: ergo aliorum urique capacitas ibidem supponitur.

Ad declarationes contrarias responderi potest cum Tambur. d. l. quest. 8. num. 11. eas aut nunquam fatis publicatas, aut certè usu receptas nunquam fuisse, prout etiam post easdem à S. Carolo Borromæo quendam Canonicum Regularem ad concursum in Parochia sacerdotali admissum fuisse, ibidem notat Tamburinus, nec non contrarium à S. Rota decisum, & à Cardinalibus declaratum fuisse.

Subjungimus præcedentibus adhuc duas quæstiones: I. An Religiosus ad curam animarum expositus ad nutum Prælati revocari possit: II. An Religiosus ad acceptandam Parochiam, vel aliud beneficium à suo Prælato compelli possit? Ad I. respondetur, si beneficium, ad quod Religiosus fuit ex-

po-

positus, ad collationem Abbatis pleno jure spectet, vel alias Manuale sit, eundem revocari posse, etiam sine speciali causa arg. Clem. un. §. præmissa de Supplen. neglig. Barbos. ibidem num. 6. & 2. seqq. quod ita ampliat Tambur. d. disp. 9. quest. 15. Panormit. ad cap. 6. de Stat. Monach. num. 11. ut, si Abbas illud beneficium ad dies vitæ Regulari suo contulisset, nec à tempore immemoriali quisquam à tali beneficio fuisset revocatus, imo si juramentum aut statutum factum fuisset de non revocando, nihilominus Religiosus revocatus propter votum obedientiæ redire deberet. Quodsi vero beneficium electivum fuerit, putà Abbatia, vel Episcopatus, Religiosus ad talem dignitatem per viam electionis assumpsus, data semel licentia, à Prælato suo amplius revocari non potest. Idem dicendum, si ad beneficium sacerdotiale,

quod ex natura sua perpetuum est, per Episcopum præhabita Abbatis licentia, vel per S. Pontificem institutus fuisset. Tambur. d. l. num. 12.

Ad alterum quæsum sub disjunctione respondeo. Vel tale beneficium est pleno jure Monasterio incorporatum, ejusque provisio immediate ad Monasterium spectat: vel beneficium est sacerdotiale, aut ad alium Ordinem, sive Monasterium pertinet, primo casu potest Religiosus ad acceptandum beneficium compelli, cum vi obedientiæ teneatur Abbatii suo parere in omnibus, quæ ad observantiam Regulæ, vel bonum commune Monasterii spectant. Navarr. Comment. 4. de Regular. num. 23. Tambur. disp. 9. Quest. 9. Altero vero casu acceptatio similis beneficii à Prælato imperari nequit. Tamburin. d. loc. cum Sanchez, Suarez & aliis.

TITULUS XXXVIII.

De Jure Patronatus.

IN præcedentibus Titulis actum est de Præbendis, & Dignitatibus, de Religiosis Domibus, & de Capellis Monachorum; ad has cum non infreenter assumantur Beneficiati per præsentationem Patroni; idcirco post dictas Rubricas convenientissimo Ordine compilator Decretalium Rubricam de *Jure Patronatus* posuit. Panormit. ad Rubr. b. t. num. 1. Materiæ hujus utilitas tum ex forensi usu, tum ex Controversiis, quæ circa *Jus Patronatus* frequentes excitari solent, se maximopere commendat. Henric. Canisius ad Rubr. b. t. num. 1. Nos, quæ ad intelligentiam hujus juris spectant, per distinctos §§. exponemus.

T t

§. I.